

ibidem contenta de ministeriis prædicationis, ac Missarum celebrationis. Neque obstat concessione illam fuisse temporalem, quia reuera quoad hoc perpetua fuit, quatenus priorem Pauli Tertii cum suis confirmat qualitatibus, quarum una est perpetuitas, quidquid de concessione in ordine ad alia sit.

Quid sententia prædicta obstat, quæ aliquando in vſu.

342 Et hæc quidem P. Ioannes Perez Menacho in explicatione priuilegiorum ad Compendium Indicum. Verb. *Absolutio, Dub. 4.* quæ cum verosimilia appareant, nisi aliquid aliàs occurreret, propter quod aliter sentire necessarium sit, possent sine scrupulo recipi, & generaliter practicari, sicut factum in his Prouinciis: licet ob reuerentiam Episcoporum, noui Sacerdotes eisdem solerent à Superioribus præsentari. Vnde cum Anno 1618. Venerabilis memoriæ P. Didacus Alvarez de Paz tunc Prouincialis, Neomyſtæ mihi licentiam ad audiendas confessiones daret, addidit præsentatum me cum aliis pariter Ordinatis Illustriſſimo D. P. Bartholomæo Lobo Guerrero, Archiepiscopo Limano, licet non esset necessarium. Illius enim Prælati singularis in Societatem affectio, & amabilis comitas, id fanè promeruit, vt erga eum officia aliàs non debita Societas frequentaret. Sed occurrit certè quædam sententiam compulerit aliam amplexari, quia scilicet R. P. N. Generalis præsentationem faciendam esse præscripsit: instantibus enim Episcopis sic fieri conueniens vſum est, vnde & priuilegij vſus, si verè legitimus, eatenus limitatus. Sic etiam videntur lenſiſſe Pontifices: nam Gregorius XIII. in citatâ Bullâ confirmans Pauli Tertij concessionem, vnus Episcopi approbationem sufficientem statuit, & gratiam huiusmodi voluit esse temporalem. Et ita Societas intellexit, addens in margine priuilegij Verb. *Confessarius*, durasse tantum vsque ad annum 1603. & eam quidem cum eâ amplitudine nullus postea Pontifex concedere voluit, sed cum limitationibus, de quibus *suprà*.

Dispositio R. P. Generalis

Mens Pontificum.

Cum qualitate perpetuitatis non esse confirmatam concessionem à Greg. XIII.

L. Doli. de Verb. significat.

Glossa.

Responsio pro contra.

343 Velle autem illam esse perpetuam ob rationem illam, quod scilicet per eam concessio Pauli & Iulij confirmetur, prout ab illis confecta fuit, & ita vt perpetua, difficillimum fanè apparet, quia cum perpetuitatis qualitas ab eodem denegata sit, qui stare queat, vt secundum eandem priuilegium dictum voluerit confirmare? Generi ergo per speciem derogatum, iuxta vulgarem regulam: neque concessio ad id extendenda, pro quo specialiter est prouisum. Cap. *Si propter*, de Rescriptis in 6. vbi Doctores, & pro quo specialiter Calderinus *Consilio 1.* & Horatius Mandosius, de priuilegijs ad instar. *Glossa. 8. n. 6.* & pro eodem est. *L. Doli. D. de verbor. significat.* in qua sic dicitur: *Clausula, quæ in stipulationibus subiicitur, non pertinet ad eas partes stipulationis, in quibus nominatim cauetur.* Vbi *Glossa* Verb. *Caueatur*, sic ait: *nota generale Verbum non pertinere ad ea, de quibus nominatim caueatur: quod ex variis iuribus illustrat.* Quæ quidem & alia melius & vrgentiùs in hanc partem aduocantur, quam vt per illa ostendatur limitationem in concessione Gregorij non esse ad Confessionum auditionem trahendam, quia de illâ dictum fuit: *Prout per dictos Prædecessores confecta fuit.* Vbi quidem doctrina prædicta non sine violentia vi-

detur applicari. Satiùs quidem fuisset asserere concessionem Gregorij temporalem fuisse, sed non obstat concessio aliarum perpetuitati, dum eas non reuocauit, iuxta doctrinam superius traditam: quia priuilegia dicta non sunt per Tridentinum reuocata, quod de Indiis, & remotissimis partibus non egit, in quibus necessarium est specialius prouideri. Vide *infra num. 484.* Vbi & accommodari nuper tradita doctrina potest, in generali inquam dispositione non venire ea, de quibus specialiter est prouisum; quando scilicet ad ita prouidendum peculiare rationes occurrunt. Extrat etiam pro necessitate dictâ Breue Innocentij X. de quo *num. 181.*

ria sententia conuenientior.

344 Et prædicta quidem ostendunt non solum in Societate priuilegium cum limitatione prædicta ad praxim applicandum, sed etiam in Religionibus aliis communicationem habentibus: quia non inſtitimus tantum in Generalis ordinatione, sed in vrgentibus fundamentis, propter quæ illa processit. Quamquam erunt fortè qui contendat totum hoc ad forum externum spectare, cum tamen in conscientie foro contrarium liceat, ob ea quæ adducit Fr. Ioannes Baptista in Animaduersionibus pro Confessarijs Indorum *fol. 440. & seqq.* vbi & pro eodem citat graues alios & doctos Magistros: sunt enim priuilegia Pontificum sic concedentia. Quod autem post illorum Auctorum scripta, & eos allegantis, qui ante annum 1600. scripsit, circa hoc videtur innouatum, cum in gratiam Episcoporum fuerit, & illis per recursum in ordine ad exterius forum videatur fieri satis, non est cur Religiosi tot Pontificum fauoribus debeant spoliari. Poterit ergo contra eos procedi, qui sine approbatione deprehensi fuerint ministerium istud exercere; sed non Censuris & penis Ecclesiasticis, sicut in citato Breui Innocentij X. declaratur. Si dicas negotium hic agi merè internum, & solum ad forum conscientie spectans, ac propterea non bene accommodari fori vtriusque distinctionem, neganda est illatio, quandoquidem Pontifices de negotio tali loquentes, & dicta priuilegia concedentes, forum vtrumque circa illa etiam discreuerunt: quod & alij Scriptores agnoscunt de hoc agentes: vnde ex eo nullâ videtur repugnantia circa huiusmodi emergere positionem. Verosimilis profectò difficultas: sed an verus, viderint doctores. Ego quidem non auferim improbabile penitus ob reuerentiam & auctoritatem ita sententium pronuntiare. Cum videamus passim multa vt probabilia admitti, & iuxta ea praxim decurrere, quæ minori cum fundamento, & leuiori auctoritatis pondere, à suis sunt auctoribus promulgata. Vide P. Escobar de Mendoza *Tomo. 1. Theol. moral. in Præloquio Cap. 4. & Pharaonium Tract. 1. Sessio 3. Casu 14. & 17.* Pro quo & facit, quod in Compendio Indico, Verb. *Confessarius*, Adnotatio sic habet: *Potestas approbandi conceditur Prouincialibus.* Quod quidem ita Scriptum post annum 1603. ad quem, vsque concessionem Gregorij durasse ibidem adnotatur. Iuxta quæ illud certius Episcopos in approbationibus non posse limitationes apponere, quando in approbationibus absolute sufficientia comprobatur, vt quod

Religionibus alijs priuilegijs cum limitatione practican-dum.

Solum pro foro externo prohibitions Pontificum procedere, quis & que probent.

Non esse id penitus improbabile.

Episcopi non posse cum & imi-

rationibus Religiosos approbare.

Non tamen iuuenes publice exponendos.

Simplex Sacerdos an possit oleum pro Vnctione benedicere, aut sine benedictione conferre.

P. Martini.

Posse conferri, Parocho non adstante, aut recitante.

Circa Indos peccari mortaliter per omissionem.

feminas non audiant nisi post 40. annos, & similes. Quod tenent Auctores à Diana adducti *Parte 11. Tractat. 8. Resolut. 27.* & iis addendus Dom. Villaruel *Parte 1. Quest. 6. Artic. 12. num. 8. & seqq.* Vbi & quod approbati cum limitatione sunt eligibiles per Bullam & Iubilæum; pro quo Magistros Salmanticenses adducit. Nec tamen propterea laudandi Prælati, qui iuuenes in Ecclesijs exponunt: id quod aliquando Episcopos ad graues solet querimonias publicitùs prouocare. Nec de materia ista plura, circa quam difficultates aliæ; nec leues, occurrunt: sed quæ pro Indiis specialia, non sunt, vnde omittendæ illæ, ne dum communia tractationi subiiciemus, opus immensum moliamur. Sit ergo

C A P V T XII.

De Priuilegijs Indorum circa Sacramentum Extremæ Vnctionis.

345 **N**illum extrat speciale in Compendio Indico, præter illud, de quo, *num. 115. & seqq.* de vſu sacrorum oleorum vltra annum. Pro vitandis autem circa hoc scrupulis videnda quæ habet Diana *Parte 3. Tract. 4. Resolut. 176.* & pro Indiis facit quod ait P. Martinon *Tomo 5. Disput. 65. num. 16.* circa potestatem simplicis Sacerdotis ad benedictionem, & quod sine benedictione conferri possit: verba illius sunt: *Immo quia opinio in praxi, posset Sacerdos in casu extrema necessitatis oleum ipse benedicere, eoque moribundum inungere: aut si neque benedicere liceret, posset vti oleo etiam non benedicto. Sed si agtorus superueneret, vngendus esset iterum sub condicione, propter securitatem.* Sic ille. Idem censet probabile P. Amicus *Tomo 8. Disput. 19. n. 40.* Neque alibi mentio magis specialis occurrit, nisi quatenus generali concessione circa administrationem Sacramentorum comprehenditur in Bullis Adriani Sexti & aliorum. Poterit quidem conferri quoties Parochus abest, & infirmus periclitatur, pro quo non est priuilegium necessarium: immo etiam adit, & iniuste neget, vt docent Auctores, quos adducit & sequitur Diana. *Parte 3. Tractat. 4. Resolut. 170. & Parte 5. Tract. 3. Resolut. 62.* ex quibus P. Laymam *Lib. 5. Tract. 8. Cap. 7. numer. 3.* non solum posse, sed teneri affirmat, non tamen sub mortali. Quod quidem ego in Indiis non admiserim, qui ob capacitatis defectum non ita facile disponi possunt ad habendum actum contritionis, aut supernalis attritionis ad Sacramentum Poenitentie iuxta communem sententiam necessarium: ad Sacramentum autem Vnctionis minus aliquid sufficere, & bona fide receptum sine affectu ad peccatum, quod memoriæ non occurrit, gratiam conferre, graues Doctores affirmant, de quo dixi *Tomo 1. Theologorum Problematum, in fine, & videri etiam potest P. Martinon supra num. 36.* vbi ita affirmat. Pufillos ergo istos tali remedio, cum adhiberi facile possit, priuare, inhumanum est, & à Christianâ charitate penitus alienum. Neque obstat, si dicatur non esse obligationem sub mortali Sacramentum istud recipiendi, de *Theſauri Indici Tom. II.*

quo Auctores apud Scriptorem citatum: & ita neque conferendi. Nam illatio ista in alijs Sacramentis non est legitima: licet enim quis non teneatur intra annum confiteri, Parochus tamen, iuxta receptissimam sententiam, de qua *infra*, tenetur audire, & idem est de Eucharistia, ac Matrimonio, sicut & de Confirmatione atque Ordine respectu Episcopi. Et in eodem Sacramento Vnctionis communiter tenent Scriptores: & aliqui adeo grauem obligationem agnoscunt, vt cum periculo vitæ etiam conferendam arbitrentur. Pro quo videndum Diana *suprà Tractat. 4. citato. Resolut. 174.* In casu autem, de quo loquimur, simplex Sacerdos loco proprii succedit, facturusex obligatione charitatis, quod alius facere ex obligatione iustitiæ tenebatur. Pro quo & P. Martinon *suprà n. 48.*

Qualis obligatio Parochorum circa illud.

346 Est etiam in compendio communi aliquid, de quo videndum quomodo possit specialiter ad Indos pertinere. Verbo enim *Extrema Vnctio*, sic habetur: *Possunt Nostri vs, qui intra septa Collegiorum, seu Dommorum, infirmati fuerint, Extremam Vnctionem Apostolicæ auctoritate liberè & licitè, Parochialis Presbyteri vel alterius cuiusvis Episcopi vel Superioris licentiâ vel assensu nullatenus requisito, ministrare.* Concessum est *Benedictionis, vt in Compendio Minorum. Verb. Vnctio extrema* §. 1. Sic illud. Vbi videndum præscribitur. verb. *Sacramenta, & Verb. Familiars.* §. 1. & 2. vbi idem conceditur pro omnibus, qui in nostris morantur obsequijs, & pro familiaribus tam intra, quam extra septa Collegiorum seu Dommorum commorantibus, atque etiam pro famulis. In Adnotatione autem ad §. 1. Verb. *Familiars*, sic dicitur: *Familiaribus Extrema Vnctio poterit administrari, atque adeo iis solis, qui in Dombus, Collegijs, Residentijs, & alijs locis Societatis habitauerint.* Sic ibi. Quod quidem ad id, quod de Extremâ Vnctione dictum est in §. *proprio*, videtur referendum: quandoquidem ibidem dicitur videndum quod *verbis citatis* continetur. Iuxta quæ priuilegium dictum non videtur ita ad vſum adſciscendum, vt extra septa nominatis in illo conferatur. Sed cum Adnotatio pro Societatis tantum vſu apposta sit, poterunt qui priuilegiorum communicatione, aut etiam directâ concessione fiuntur, illis vt iacet vti, seruatis tamen iis, quæ pro vitandâ offensione prudentia dictauerit obseruanda.

Priuilegijs circa administrationem pro exercitijs dum in domibus Religiosis inſtituantur.

Adnotatio pro Religiosis alijs non vrget.

347 Verum ne vſus liceat, obſtare aliud potest, quod scilicet priuilegium illud videtur fuisse viuæ vocis oraculum, quia auctoritate Apostolicâ concessum fuit à Nicolao Franco de Latere Legato, vt ex Lezano obseruat Diana *Parte 9. Tract. 9. Resolut. 36. §. Sed hic obiter.* Et ita tamquam oraculum proponitur in Compendio Minorum. Videtur autem Cardinalis Lugo in Adnotationibus ad Oracula Compendij communis, illius auctoritati deferre, ex eo quod addat Verb. *Extrema Vnctio*, quasi aduersatiuè: *sed concessum in primis fuit per Litteras Benedictini à Nicolao Franco Nuntio cum potestate Legati à Latere in Regnis Castellæ & Legionis, vt constat ex Bullario Regularium apud Fr. Emmanuelem Rodriguez sub titulo Bullæ 42. num. 4. sub Sixto IV.* Sic ille. Sed id non obstat: quia non potuit Auctoris dicti iudicium contra apertam decisionem *11 2* Urbani

Difficultas ex eo quod videtur vſus vocis oraculum.

Cardinalis Lugo vt satisfacere videtur.

Alij ve fa-  
ucant non  
reuoatio-  
ni.

Vrbani VIII. procedere reuocantis oracula et-  
iam à Cardinalibus authenticè roborata. Quan-  
tis Lezana dubitet an inter oracula computari  
debeat: cuius fundamentum esse potest, quia ut  
Bulla Pontificia inter alias recensetur. Et etiam  
non reuocari ea, quæ à Legatis de Latere authen-  
ticata sunt. Pro quo videri possunt quæ adducit  
P. Pellizarius *tra. 7. 8. cap. 3. n. 326.* Non item re-  
uocatum censet P. Quintanad. *Tom. 1. tract. 5. In-*  
*gul. 4. in fine.* Sensus ergo aduersarij quidem est,

Cardinalis  
ciuiti alta  
est mens,  
quæ non  
Bulla extat  
concessio-

sed non ratione prædictâ, sed ob id, quod sequi-  
tur, scilicet Patribus Theatinis simile priuilegium  
concessum à Pio V. per Bullam 31. 5. 17. apud  
Cherubinum *Tom. 2.* Itaque iuxta ipsum non ob-  
stat illud prius, quando posterius aliud irrefragi-  
bile in eadem causâ succurrit, sicut alia, de quibus  
*supra.* Et quidquid de illis sit, in eo, de quo specialis  
esse difficultas potest, ministrandi inquam extra  
septra, sola allegatur Martini V. concessio, quæ  
valde diuersa est ab oraculo illo Nicolai Franci  
auctoritate Sixti IV. In quo quidem video Au-  
ctores nonnullos æquiuocatione aliqua laborare  
dum priuilegium vtrumque confundunt. Et P.  
Suarez *Tom. 4. de Religione, Tract. 10. Lib. 9. Cap. 4.*

Duo extare  
disticta  
priuilegia,  
quæ aliqui  
confundit.

n. 16. licet diuersas esse concessiones admitat, nõ  
tamen vt certum; sed tantum ait diuersas videri,  
quia in Compendio Benedictinorum sub diuersis  
verbis proponuntur, scilicet verb. *Extrema vnctio*  
*§. 1. & verb. Familiars, §. 10.* Vbi pro Benedic-  
tinorum reponendum *Minorum*, sicut in Compen-  
dio communi habetur. Et indicium illud ex di-  
uersitate locorum non est magni momenti, quia  
eadem priuilegia diuersis in locis apponi solent,  
eò quod multa contineant, quæ ad diuersa pos-  
sunt verba pertinere. Ad manifestus ergo aliud,  
ad diuersos scilicet concedentes Pontifices, re-  
currendum.

Priuilegiũ  
Martini V.  
videri à  
Tridentino  
reuoatiũ.

348 Non videtur autem concessioni illi  
Martini V. vllatenus insistendum, quia à Conci-  
lio Tridentino *Sessio 24. Cap. 11.* de Reforma-  
tione, huiusmodi priuilegia reuocata sunt, dum  
ibidem dicitur: *Exceptis tamen ijs, qui prædictis*  
*locis, atque militijs actu seruiunt, & intra eorum*  
*septra ac domos resident, subque eorum obedientia*  
*viliunt.* Sic ibi. Alij ergo Ordinariorum subie-  
ctioni penitus subiiciuntur. Et ita tenet P. Sua-  
rez *supra, numer. 12.* Vbi licet Concilij Decre-  
tum ad hoc referendum censet: addit tamen  
per priuilegium Pij V. de quo Fr. Emmanuel  
*Tom. 1. qq. regular. quest. 56. artic. 14.* & in  
Compendio communi Societatis. Verb. *Conci-*  
*lium Tridentinum, §. 3.* sic dicitur: *Possumus vti in*  
*foro conscientie omnibus gratijs per concessiones Pij V.*  
*Minoribus concessis, etiam quoad illas ex eis, quæ*  
*sunt restrictæ, seu derogatæ per Concilium Triden-*  
*tinum, prout eisdem concessit ipse Pius V. vniue*  
*ris Oraculo, &c.* In Adnotatione autem sic ad-  
ditur: *Quæ hoc §. dicuntur, intelligantur de oc-*  
*cultis, seu non manifestis. Nam pro huiusmodi tan-*  
*tum fieri solent similes concessiones vniue vocis oracu-*  
*lo.* Sic ibi. Per priuilegium inquam tale ea li-  
cere, de quibus agimus, in foro conscientie:  
addens tamen quòd si Parochi aliquod  
sibi fuis circa huiusmodi personas vendicare  
vellent, & in exteriori foro illud postulerent,  
non possent eis resisti, virtute priuilegiorum,  
nisi quatenus per Concilium Tridentinum non

Compen-  
dium com-  
mune.

In foro cõ-  
scientie va-  
lium iu-  
xia P. Sua-  
rium.

sunt restricta: quamdiu autem ipsi non resistunt,  
tuta conscientia possumus vti priuilegijs iuxta  
concessionem Pij V.

349 Circa quam Eximij Doctoris do-  
ctrinam sic ait P. Pellizarius *supra, numer. 325.*  
*Qui tamen attendit reuocatione vniue vocis Oracu-*  
*lorum, de quæ supra, improbabiler docet præfatum*  
*Decretum Concilij Tridentini non obstat quominus*  
*Religijs Societatis, immò & aliorum Ordinum par-*  
*tiuipantium de ipsorum priuilegijs, possint mini-*  
*strare extremam vnctionem etiam familiaribus non*  
*habitantibus in eorum domibus, &c.* Debit tamen  
attendere dictus Auctor P. Suarium non  
scripsisse post reuocationem Oraculorum, &  
ita satis probabiliter locutum. Immò etiam si  
dicamus post reuocationem dictam scripsisse,  
non debuit eas assertio improbabiler pronun-  
tari, propter ea, quæ Auctor idem adducit  
*Tractatu citato, Cap. 1. numer. 150. & seqq.* po-  
tuit enim priuilegium dictum non reuocatum  
censeri, quia post illius concessionem Bulla a-  
liorum Pontificum confirmantium & innouan-  
tium priuilegia omnia prodierunt, vt videri a-  
pud eundem potest. Quod si P. Suarius impro-  
babiler locutus, cur non etiam eandem notam  
Compendio Societatis inire, quod priuilegium  
dictum citato loco proponit? Illud ergo minus  
circumspicere dictum, sicut & priuilegium Bene-  
dictinis circa ministrandam vnctionem à Nico-  
lao V. concessum, cum à Martino V. concessum  
sit, vt in Compendio dicitur. Extat autem  
priuilegium Nicolai V. familiaribus Hieronymi-  
anensis concessum, de quo Portel *Tom. 1. V. Fa-*  
*muli, sed ad alia.* Aliud item eiusdem pro Hospi-  
talibus Religiosorum, vide apud Dianam *Parte*  
*8. Tractat. 7. Resolut. 95.* quod pro causâ præsentii  
non facit.

Improbabi-  
liter locutus  
male asse-  
rere P. Pel-  
lizarium.

350 Pro quo item arguo: nam P. Suarez  
*citato num. 16.* quem sequitur idem P. Pelliza-  
rius *supra num. 326.* & alij affirmant ei, qui intra  
domum Religiosam in morbum incidit, etiam si,  
neque famulus, neque familiaris sit, posse vn-  
ctionem ministrari, ob priuilegium citatum con-  
cessum Benedictinis à Sixto IV. de quo *numer.*  
*356.* Cum autem à Concilio exigatur actuale  
seruitium, & commemoratio intra septra, & quòd  
tales sub obedientia viuant eorum, dubitari me-  
rito potest quomodo tale priuilegium non sit re-  
uocatum. Ad quod quidem P. Suarez nihil re-  
spondet, sed tantum explicat conuenientiam con-  
cessionis, & quòd Societati possit esse valde ac-  
commodatum, de quo *inferius*: ergo quod atti-  
net ad reuocationem, Concilium non videtur  
vrgere, quia de illo, & similibus non procedit.  
Deinde. Discursus eiusdem Patris à *num. 13.* hoc  
etiam conuincit: ait enim ibi quòd seclusâ etiam  
concessione Pij V. stare potest vltus priuilegij  
Pauli III. sicut in Societate circa illud habetur  
dispositum, vt constat ex Adnotatione citatâ ad  
*§. 1. verb. Familiars*: quod scilicet intra domos  
Societatis commorentur, & intra septra contingat  
infirmari. Quòd autem non sit necessarium vt  
familiaris sint, & ita etiam debeat intelligi priui-  
legium Pauli III. colligit ex priuilegio citato Be-  
nedictinis concessio, in quo familiaritatis nulla est  
mentio. Iuxta illum ergo, etiam secluso Pij V.  
priuilegio, stat dicta concessio: ergo non est per

Pro illo cõ-  
tra eundẽ  
arguitur  
ex sententia  
quam ad-  
mittit, cir-  
ca agrotan-  
tes intra se-  
ptra, etiamsi  
non sint fa-  
miliars.

Con-

In de pro cõ-  
essione vr-  
geur agro-  
tantium  
extra septa.

Concilium reuocata: vnde recurrendum ad rati-  
onem à nobis adductam, quòd scilicet Conci-  
lium de huiusmodi priuilegijs non loquatur. Ex  
quo etiam sequitur priuilegium Martini V. de  
administratione etiam extra septra non esse reuo-  
catum, quia vt ait idem Doctor Eximius *num.*  
*15.* vbi illud adducit, familiaritas, & compellatio  
domestici esse potest, etiam si quis non habitat  
intra septra Monasterij: & cum ex vi priuilegij  
non petatur commoratio intra domos Religio-  
sas, licebit certe per illud: quod tamen in So-  
cietate prudenter non admissum, vt iam vi-  
dimus.

P. Pelliza-  
rij non sibi  
constare do-  
ctrinam.

351 Pater autem Pellizarius cum P. Suarium  
pro sua citet assertione, illius videtur amplecti  
doctrinam. Nec potuit concessioni Pij V. assertio  
eius iniri, quia eam reuocatum contendit, n. 325.  
de quo & Nos *supra, n. 349.* necessarium ergo debet  
ad illud haberi recursum, quod contendimus, scilicet  
à Concilio concessiones huiusmodi minime  
reuocatas. Quam autem consequenter dictus lo-  
quatur Auctor non est cur anxie prosequamur, si  
ea, quæ *cit. n. 325. & 326.* habet ille, inter se com-  
ponantur. In priori enim contendit duas condi-  
tiones à Concilio requisitas debere seruari, & P.  
Suarium, qui conditionem de habitatione intra  
septra non esse necessariam dixit ob priuilegium  
Pij V. improbabiler id asserit docuisse. In po-  
steriori autem idem quod P. Suarez de non ne-  
cessaria conditione illa prorsus admittit, ob pri-  
uilegium illud concessum Benedictinis, de quo  
in Compendio. Verb. *Extrema vnctio.* Addens  
cum Miranda non reuocatum reuocatione Ora-  
culorum, quia fuit per Legatum à Latere Apo-  
stolicâ auctoritate concessum. Sed cum Conci-  
lium priuilegia reuocet, vt ipse fatetur; quomo-  
do stare potest, vt priuilegium illud Legati au-  
thoritate firmatum, reuocatum non sit, quando  
generaliter concessa & concedenda reuocantur?  
Videri ipse quid dicturus sit: Nos ratione iam  
reddidit conuincimus.

Conc. Tri-  
dentinum  
non obsta-  
re, & de  
quibus pri-  
uilegijs lo-  
quatur.

352 Sed oportet vt eam satis efficaciter  
comprobemus, & sic P. Suarium defendamus,  
non iam insistendo concessioni dictæ Pij V. sed  
quia Concilium Tridentinum nequiquam vide-  
tur obstat, non enim loquitur de priuilegijs  
circa prædicta, sed de iis ratione quorum aliqui à  
iurisdictione Ordinariorum penitus eximuntur,  
seruitijs quibusdam exemptorum addicti, ex quo  
fit quòd priuilegia talia *exemptis occasione laxio-*  
*ris vniue præbere dignoscuntur*, vt ibidem habetur.  
Hic autem de exemptis non loquimur, sed de  
subditis Ordinariæ iurisdictioni, qui tamen pro-  
pter specialia obsequia Religiosis præstita, aut  
decentiam eorum domibus congruentem, ne sci-  
licet Parochi in eas Sacramenta ministrari in-  
grediantur, fauore aliquo per benignitatem A-  
postolicam potiuntur. Et hæc est mens Societa-  
tis, Patrum inquam Generalium, ac eorum, qui  
concinnando Compendio communi operam  
sedulam, viri sanè eruditissimi, contulerunt. Pri-  
uilegia enim in eo, vt vidimus, proponuntur  
nullâ Concilij Tridentini factâ mentione, aut  
remissione ad ea, quæ *in §. 3.* de illo extare per-  
sequimus. In Adnotatione autem ad *§. 1. verb.*  
*Familiars*, sic habetur: *Extra septa verò cum illis*  
*perinde atque cum alijs agatur, prout habetur.* Verb.

Compen-  
dium com-  
mune.

Theſauri Indici Tom. II.

Sacramenta. Sic ibi. Quæ limitatio non additur  
vt Decreta à Tridentino; sed quia cum priuile-  
gium Martini V. præmissum fuisset, per quod  
Sacramentorum administratio etiam extra septra  
conceditur, noluit Societas eâ in parte eodem  
frui, ob vitandam Ordinariorum offensionem.  
Quòd si vltum alium contrarium Tridentini di-  
spositionibus tenuisset, non vtiq; eam pro-  
posuisset absolutè, & aliter Adnotatio proce-  
deret, vt intelligeretur talem vltum non licere.  
Sed iam ad alia, quæ ad Indias possunt specia-  
lius pertinere.

In Seminari-  
is alum-  
norum posse  
vltum pri-  
uilegij sa-  
stineri, qui  
quæ quæ ob-  
stant.

353 Sunt in illis Indorum Collegia aut Se-  
minaria curæ Societatis & gubernationi com-  
missa. Et dubitari merito possent an priuilegio-  
rum dictorum vltus possit ad illos extendi. Circa  
quod, de Seminarijs Generaliter loquendo, re-  
spondet P. Pellizarius *supra numer. 328.* quòd si  
extra Monasteria ac proprias domos sint, illis  
potest vnctio sacra administrari ex priuilegio  
Martini V. citato: quia alumni reuera veniunt  
nomine Familiarium; quo vt possunt alij Reli-  
giosij. In Societate verò id non licere ob limita-  
tionem additam ad Familiares, qui in Domibus,  
Collegijs, Residentijs, & alijs locis Societatis ha-  
bitauerint. Supponit ergo pro certo illis, si in  
prædictis Seminarijs sint, vnctionem posse con-  
ferri, quia familiares sunt, & intra septra. Quòd  
& tenet P. Quintanad. *Tom. 2. ad 4. Ecclesie Præ-*  
*ceptum, Singulare 33. num. 3.* & pro eodem deser-  
uire possunt quæ ex Bordono adducit Diana  
*Parte 8. Tractat. 7. Resolut. 95.* vbi infirmos in Ho-  
spitalibus Regularium de eorum dicta esse familiã  
in ordine ad Sacramenta: quod plus est quàm id,  
quod de alumnis Seminariorum præfati deter-  
minant.

354 Potest autem opponi id, quod in Com-  
pendio habetur verb. *Extrema vnctio*, & verb.  
*Familiars.* In priori enim dicitur: *Qui intra septa*  
*Collegiorum, seu Domorum infirmati fuerint.* In alio  
autem: *Tam intra, quàm extra septa Collegiorum,*  
*seu Domorum.* Sic *§. 1.* In Adnotatione autem  
sic additur: *Qui in Domibus, Collegijs, Residentijs,*  
*& alijs locis Societatis habitauerint.* Iuxta styllum  
autem Societatis *Domus* non quamcumque, sed  
Professam designat; Collegium autem, illud  
quod Sociorum proprium est, pro studijs insti-  
tutum, vt expressè habetur *Parte 1. Constitut. Cap.*  
*1. §. 27.* Residentia verò propriam item Socio-  
rum habitationem, quæ neque Domus Professa,  
nec Collegium sit. Quòd autem additur, *In alijs*  
*locis Societatis, Seminaria videtur excludere,* quæ  
loca Societatis non sunt, sed prorsus aliena; licet  
eorum gubernatio sit Societati commendata: vnde  
*Seminarium Societatis*, cum dicitur, illud desi-  
gnatur quòd Sociorum Societatis est, ad forma-  
dos Professores, & alios operarios *Vniue Christi in hu-*  
*manioribus literis, Philosophiâ, & Theologiâ: vt toti*  
*Prouincia postea sufficiant:* vt habetur *Canone 5.*  
*Congreg. 2.*

Obiectio ex  
stilo Socie-  
tatis circa  
nominum  
Domorum,  
Collegiorum,  
&c.

355 His tamen fieri satis potest, & resolu-  
tio dicta sustineri: nam Seminaria dicta etiam  
Collegia dici possunt, vt constat ex *Congregat.*  
*3. Decreto 24.* vbi Seminarium Germanicum vo-  
catur Collegium, in quo alebantur etiam Con-  
uictiores proprijs sumptibus pro alimentis im-  
pensis. Collegium item Anglicum, Hybernicum,

Defenditur  
postea affir-  
mans, &  
proprietas  
nominum  
comproba-  
tur.